



Gü. 22.

Gü. 22.

9.  
10

VOCIS  
CAMINATAE  
ORIGINEM SLAVONICAM

---

EX AVCTORITATE AMPLISS. PHILOSOPHORVM ORDINIS

DIE XVIII. OCTOBR. MDCCCLXXI.

DEFENDENT

M. ABRAHAMVS IACOBVS PENZEL

E T

IOANNES CHRISTOPHORVS NIEMANN

DESSAVIA-ANHALTINVS, MED. ET PHIL. CVLT.



---

HALAE  
LITTERIS HENDELIANIS.

**REINES.** lection. var. I. I. cap. XIII.

Slaonicam linguam, malo more seu rusticam, impexam, folidamque et indignam homine liberali *δοκιστεροις* et polituli nonnulli derident; contra pro Louis habent cerebro si quid transalpinum Gallicumque inter aequales tinnire norunt.

V I R O  
S V M M E R E V E R E N D O  
A M P L I S S I M O A T Q V E D O C T I S S I M O  
**IOANNI GEORGIO**  
S V C R O,

P O T E N T I S S I M O B O R V S S O R V M R E G I A C O N S I L I S S A C R I S ,  
I N S P E C T O R I E C C L E S I A R V M ; E T S C H O L A R V M P R I M A E  
D I O E C E S O S M A G D E B U R G E N S I S E T V E R B I D I V I N I  
M I N I S T R O P R I M A R I O A D E C C L E S I A M C A T H E D R A L E M .

E T  
V I R O  
E X C E L L E N T I S S I M O I V R I V M P E R I T I S S I M O  
A T Q V E D O C T I S S I M O  
**ADAMO DIETERICO**  
S C H M I D ,  
S Y N D I C O S T A T V V M P R O V I N C I A L V M E T R E V E N D I S S I M I  
C A P I T V L I M A G D E B U R G E N S I S , G R A V I S S I M O .

P A T R O N I S A T Q V E F A V T O R I B V S S V I S  
A D C I N E R E S V S Q V E C O L E N D I S

HANC DISSERTATIONEM  
SPECIMINIS LOCO A SE DEFENSAM  
IN GRATISSIMAE MENTIS TESSERAM  
VLTERIORI BENEVOLENTIAE SESE COMMENDANS  
FAVSTA QVAEVIS ATQVE PROSPERA  
ET  
VITAE INCOLVMITATEM AD SEROS VSQVE ANNOS  
EX ANIMO ADPRECANS



§. I.

**E**quidem fateor, rem duram, imo durissimam ille suscipit, qui antiquam bonisque auctoribus satis probatam latinitatem rite cognoscere studet, ac dicendi genus, quo ipse in scriptiunculis suis vtitur, simile prorsus efficere tentat illi, quo Cicero olim Caesarque vtebantur. Ita enim, in Schola sticorum, quos vocant, scholis praesertim, depravata est dictio nostra latina, ut valde dubitem, num

A 2

sen-

sensum semper nostrarum litterarum recte perciperet antiquae  
 Romae ciuis illi si traderentur. Credere hinc nequaquam debe-  
 mus, eum pulcre beneque romanam linguam callere, qui multos  
 latinos auctores perlegit, qui festinans et sine haesitatione loqui-  
 tur, aut in scriptiunculis suis periodis curate tornatis vocibus  
 que papauere et sesamo sparsis vtitur. Verum est, titillat et de-  
 mulcet et quasi aures nostras tale gēnus dicendi, quo voluptate ali-  
 qua adsciciuntur, dum sentiunt, quam anxie laborauerit auctor,  
 vt sonorae essent, quas elegerat voces. Cuicunque vero aditus  
 patet ad interiora Romanae linguae sacraria, et qui in Ciceronis, vt  
 ita dicam, confortium adoptatus est, mox sentiet fucum; torna-  
 tas has periodos, vocesque tanta cura selectas, nequaquam inge-  
 nium Ciceronianum redolere videbit. Non enim argutiis his,  
 sed proprietate sermonis probanda conficitur latinitas; nam vsus  
 saepissime vocibus significationes adtribuit, veteribus Romanis  
 prorsus incognitas, quae postea prae genuinis ita inualuere, vt  
 prisca illa significatione penitus abolita, recentiorem modo no-  
 uerimus; quare bene fecit RITTERSHVSIVS doctissimus, Academiae  
 Altorfinae, imo Germaniae vniuersae perpetuum decus, qui  
*Oppiano*, a se latina ciuitate donato, adnorationes subiecit, qui-  
 bus illustrantur locutiones, quas adhibuerat, latinae. Quum enim  
 pulcherrima ista versio classica prorsus et antiquata sit dictione  
 conscripta, dubium non est quin plurimi ex lectoribus non  
 perceperissent elegantiam nitoremque eius, nisi subleuare eos  
*Rittershusius* ὁ παν adnotationibus suis voluisse, et licet ego is,  
 si quis alias, sim, qui iunioribus suis amicis auctor est, vt negle-  
 ctis

Etis recentiorum riuiulis, ex ipsa antiquitatis fonte probatam latinitatem hauriant, tamen veritati hoc do, et latinum, *Rittershusii Oppianum*, ut et *Grotiana* opera aequiparanda antiquorum scriptis esse censeo.

## §. II.

Verum enim vero si nos non negamus multis iisque maximis premi difficultatibus studium probatae latinitatis, etiam id diffitendum nequaquam est, difficultates longe maiores iis occurrere, qui satis audaciae habent, ut adeant mediae latinitatis campos longe lateque patentes, horridos maxima ex parte asperosque. Is enim, qui antiquatam latinitatem discere cupit, legere tantum debet per paucos oppido scriptores, nonnullasque ea de re recentiorum criticas commentationes, iis probe perlectis genium latinae linguae perspicit, et limam si tabellis suis saepe admovet, nec alias prorsus diligentia destitutus est, spirare possunt omnia ea, quae scripsit, veram Romanorum linguae indolem; ast res aliter longe comparata est eocum, qui latinitatem medium attingit. Non solum assidue et cum cura per legere debet auctores, e quibus addiscitur, quorum ingens numerus est, ita ut vix ac ne vix quidem unius hominis vita ad omnes perlustrandos sufficiat; gnarus etiam omnium esse debet doctrinarum: frustra enim Philosophum aut Medicum interpretari tentabit Philosophiae aut Medicae artis ignarus. Et nec ista quidem universalis omnium doctrinarum cognitio sufficit; requiritur practerea, ut omnes paene quotquot extant in orbe terrarum variarum gentium lin-

A

guas

—

guas familiares sibi reddat. Prorsus enim alia in ipsis barbarici temporibus res cum latinitate erat, ac nunc est. Nobis enim cum sermo aliqua de re faciendus est, quam ignorarant Romani, laboramus tamen, ut hoc, quantum fieri potest, Romano more faciamus. Sic Romanis ignotum vtique fuit istud ornamenti genus in vestibus, quod nostrates Tressen dicunt; sed fuerit ignotum, tamen non de tressis loquimur, si quando placet huius ornamenti mentionem in latina scriptiuncula facere, potius dicimus fimbriatas esse aureis aut argenteis segmentis vestes, vel si istud minus placet, magis romane adhuc *laticlavia aurea* dicere possumus; sic nequaquam habuere Romani inter vestimenta sua *Nedingots* aut *Bickshen*, quis vero verae *pænulas* has, illasque *lacernas* dicere? Sic nescimere vsum Tabacci, nos vero ista de herba locuturi nec opus est ut adhibeamus istud *peti*, natuum quidem ast barbarum nomen, nec adscititium et insulsum illud *tabacci* (a), *fun-*

*num*

(a) Eam enim herbam, quam nos a *Johanne Nicot.*, dicimus *Nicotianam*; Americani, penes quos crescit, *Petum*, Hispani vero ab ea vbi plurimum crescit prouincia *Tabaco* dicunt, cfr. *THEB. vom Rauch* und *Schuppstock*, S. 5. seqq.; nec est quod vnam modo speciem *peri* nomine *insigniamus*, cum communis appellatio omnium sit; contra vero *Cnaster* plane nullum herbae Nicotianae nomen est, sed optima huius herbae species, quae in *calathis* (hispanice *canastro*) transmititur, catachrestice *Cnastiback*, quasi tu dicas *Korbstock* dicta fuit, vnde barbari nostri *cnastrī* vocabulum, insulsum et illepidum si quod aliud cuderunt. — Haec herba quonam modo ex Oriente ad Lusitanos et ab his ad Gallos Angloisque portata fuerit plerunque satis constat, quisnam eius vsum *Iralos* docuerit plurimi nesciunt, nomen viri, in eius honorem, adscribere hic volo, fuit *Virginius Orfini*, cfr. *PIETRO della VALLE Viaggi. P. I. p. 155.*

*mum bibere*, quis satis audaciae aut temeritatis habet, qui locutionem illam aut parum Romanam, aut parum rei aptam pronuntiaret? Lubens libensque alia multa omitto, quae adferre in medium possem. — Sed olim sic non erat; monachi de re quadam locuturi, cui non statim latina quaedam vox respondebat, de puritate sermonis parum solliciti, ipsam hanc vocem adoptarunt; irrepere hinc in medii aei latinitatem ex omnibus fere Europae linguis voces; immo est forsan nulla prorsus lingua, quae suas non ad hanc barbarie colluuiem contulisset symbolas. Vnde infeliciter plerumque in eruendis harum vocum significationibus versati sunt, qui vnam alteramque linguam nesciuerunt. Cangii dominus ipse, ast quantus vir, cuius se vasto pectore incluserat, quicquid reconditi medium in se aeuum habebat, cuius diuinam prorsus memoriam, adamantinam diligentiam et in diuinando sagacitatem aut duo aut nemo vnam attingent; ipse hic, inquam, tantus quantus est Cangius, quam titubanti gressu incessit, quoties ex originibus Germanicis vox aliqua esset explicanda? quam saepe tunc non dormitat, quam saepe diuinum eius opus non tyro quiuis germanicae linguae emendare feliciter potest (b).

### §. III.

- (b) Qua de re luculenta saepe exempla apud **CANGIVM** occurunt; sic nesciuit Zeidtarii quinam fuerint; *mellicidas* fuisse equidem nescire non potuit ex *GOLDAST. conf. imp. T. I.* vbi — *imprimis quod omnes officiales, foreſtarii et MELLICIDAE qui ZEIDLARII vulgariter nuncupantur;* nesciuit tamen origenes vocis, quas germanicas esse quiuis cui sanum occiput animaduertit facilime; Zeidler enim Germanis esse *Bienenvater* nemo facile nescit confer.

B

SCHILT.


 §. III.

Habuimus utique mediae latinitatis felices scrutatores, qui plurimas iam ex ea voces, alienis linguis in subsidium vocatis, non inuita illustrarunt Minerua. Antiquam illam italicam linguam, prouençalem vulgo vocant, vna cum hodierna, nec non hispanicam et in primis vernacularam suam gallicam bene calluit *Cangius* summus; *Wachterus* patriae amor et apud exterios gloria, vna cum materna, antiquas illas Gothorum, Islandorum et Anglosaxonum dialectos, cum deriuatis ex ea Danorum, Suecorum, Batauorum et Anglorum linguis, optime nouerat, et iis interdum ad illustrandam medium latinitatem per pulcre usus est, qui ea in re comites et secutores habuit viros clarissimos *Tenzelium*, *Leibnitium*, *Eckhardum*, *Haltauſium*, aliosque, quorum longe foret nomina adscribere. Sed multa adhuc facienda restant. Per *Auicennae*, *Auerrois*, *Mesuae*, *Rhazetis* aliorumque Medicorum Arabicorum scripta, arabica vocabula quam plura, in primis medicorum medii aevi scriptis intrarunt, ita ut vix ac ne vix quidem gressum in iis tuto figere possis, ubique in depravata arabica incidens (c); ubi vero fuit ex iis, qui animum

ad

**SCHILT.** *Gloss. germ. s. v. Zeidler.* Aliud exemplum cui placet adeat **TENZEL.** monathliche Unterred. Th. I. S. 954.

(c) Prae caeteris ego hic **MATTHAEVM SYLVATICVM** nomine, saeculi XIV scriptorem, cuius *Pandectarum medicinae* opus, excusum *Veneris 1498* fol. Quam vellem praefastaret summus **REISKIVS** pro diuina sua, qua pollet, linguae arabicae peritia, huic scriptori idem officium quod *Dioscoridi* et *Apuleio BOCHARTUS*. Ex omnibus

bus

ad studium hocce adplicarunt, qui arabice satis docte fuissent, ut  
talia verba rite ex lingua arabica illustrare potuissent? Porro, si  
B 2 scriptor

bus enim, qui nunc viuunt, eruditis ego neminem nosco, qui et lin-  
guam arabicam, et rem medicam, et medii aeu i latinitatem aequa nos-  
ser ac ipse; tribus enim his instructus esse debet, quicunque rite il-  
lustrare Matthaeum Syluaticum vult, qui fere semper Oedipo indiget;  
nam, ut ait FABRIC. Bibl. lat. p. 306. edit. Lond. 1703, *Verba*  
*arabica ira depravata exhibet, ut vel peritiissimis eius linguae*  
*raro liceat, quid res sit, hariohari.* Acerbum hinc de eo iudicium  
tulit OTTO BRVNSFELDVS et ipse Medicus, cuius adscribere  
verba placet: *In re medica verteris Pandectarii errata tam mani-  
festaria sunt, ut proulus perspecta nemini non sint, nisi qui sanas  
eruditio ac veterum scriptorum nihil adtingit; in quo tertia  
fere semper dictio corrupta vitiataque, aut certe barbara obsole-  
ta vel exotică est; nec paulo diversa omnia a magorum et ne-  
cromanticorum praestigiosis nonnulaturis, ut nescias, rerumne  
an malorum portis daemoniorum sint nomina; sed recte subiicit*  
CANG. praef. ad *Gloss. lat.* §. 48. de his videant peritiores Me-  
dici, *Arabicae potissimum periti, qui unici duntaxat iudicium*  
*ferre, mea quidem sententia, possint.* Alia etiam ratio est, cur ad-  
dicat, necesse est, arabicam linguam, quicunque medium latinitatem  
rite intelligere vult; nempe per scriptores hispanicos ingens vocum  
numerus in medium latinitatem irrepit, quas quidem lingua hispani-  
ca eacum habet communes, quarum tamen primaria radix nonnisi in  
arabica lingua est quaerenda; tales paene omnes voces sunt incipientes  
ab al, e. g. *Alcanala, Alcaydus, Alchaz, Aldea, Alfanegus,*  
*Alfaguaqueus, Alfetar, Alfetna, Alforis, Algalia, Algozirius,*  
*Alguzilus, Alguazzellus, Alquexis, Albobzes, Aliama,* longe-  
que plures, quas hic transcribere longum foret; forsan nos alia occa-  
sione monstrare conabimur, quantum lucrari possit, ex accurata Lusi-  
taniae Hispaniaeque linguarum cognitione, media latinitas.

—————

scriptor hispanicus hispanica (d), gallicus gallica, germanicus germanica latinitati suae admisit vocabula, quae te, nonne purtandum est, etiam scriptores flauonicos addidisse flauonica? Adeo per Germaniam olim longe lateque fuisse diffusam flauicam gentem, et videbis parum improbabile videri, aurifodinas esse harum gentium linguas, e quibus quis eruere saepe veras multarum vocum origines posset, quas latitare dum crediderunt eruditii, et de quarum detectione penitus iam desperarant. Ego vero, quod felix faustumque sit, praeibo, primam de Slavis praedam reportabor, et licet opima non erit, erit tamen prima, quam ceu primitias omnes, boni omnis caussa, Deo sacramus.

#### §. IV.

CAMINATAE siue CAMINATI, (vtroque enim modo vox scribitur, *Caminata* et *Caminatum*) vocem summus CANGIVS in Glossario suo: *Cameram, conclave, coenaculum quoduis, explicat, in quo caminus extat.* Hanc suam ut defendat explicationem, ad *Glossa-*

(d) Hispaniae linguae utilitatem in eruendis mediae latinitatis originibus nemo ibit inficias; exemplum esse potest alqueriae vox in diplomatis hispanicis saepe occurrentis, quae tota hispanica est; ALQUERIA mazairie, ut interpretatur SOBRINVS. CORARRVVIAS; alqueria es la casa sola en el campo donde el labrador del, se recoge con su gente y bato de la branca por estar lejos de poblado, y que el dia se le fuera en ir y venir, no habitando en la misma tierra que labra, y assi vale tanto como casa de la branca, y donde ay muchas destas casas, apartadas unas de otras, pero en una comarca. Dize el padre Guadix que el nombre alcarria y alqueria son de una raiz y que valen tanto, como aldeas, que es caria.

*Glossarium Saxonum AELFRICI prouocat, vbi: Caminatum FYRHVS i. g. ignis domus; porro ANASTASII BIBLIOTHECARII (e) locum excitat, qui in Valent. II. pag. 167. ita: Et alia noua (aedificia) adiecit, in quibus tres CAMINATAS fieri iussit. MONACHVS SANG. I. I. c. 33. Expletis hymnis matutinalibus, ad caminatam reuersus imperialibus vestimentis pro tempore ornabatur; ID. c. v. Finitis laudibus matutinis cum rex ad palatium vel caminatam dormitoriam, calefaciendi se et ornandi gratia rediret. CHARTA GERALDI EPISC. CADVRC. d. a. 1248. Inuaserunt domum sive caminatam ecclesiae b. Mariae de Sobiros. Eandem viam calcat celeberrimus SCHILTERVS Gloss. germ. l. v. Keminaten (f), prouocans ad LIBRVM SALICVM MONAST. EBERSHEYM. cap. Iudicium syluarum: Unde ful es ginre gebeffern in mines Herrn KEMINATEN. IT. cap. Iudicium senatus: Unde ist das mines Herrn des Abbes Hovegesinde gezurnent, darumbe en fullent si zi keiner Notrede stan,*

B 3 man-

(e) Quem caue ne credas talem Bibliothecarium fuisse, qualis nostra memoria fuit, cuius semper nomen honorosque manebit, eminentissimus Quirinius; primus enim bibliothecae Vaticanae bibliothecarius idibus Iulii 1475 a Sixto IV. institutus fuit Bartholomaeus PLATINA Cfr. PANVIN. de biblioth. Varie. ap. SCHOTT. itiner. Ital. P. II. p. 153. ed. Vicent. 1602. 8v. Antiqui illi bibliothecarii, qualis Anastasius fuit, munere Secretariorum fungebantur; eorum enim opera scribebantur bullae papales; bulla quedam Sergii/ data pontificatus an. X. indist. II. subscribitur: Data — per manus IOHANNIS, BIBLIOTHECARII tunc S. sedis apostolicae. Confr. NOUVEAU TRAITE DIPLOMATIQUE Vol. V. Tom. IV. p. 220 sq.

(f) Quae vox respondet utique latinae caminata? Vocab. Manuscriptum Anon. penes Schilterum: CAMINATA syn Kemnot.



wande in mines Herrn KEMENATEN, und mag ers nut versuenen, so  
foll es der Voget rihten. FRAGM. de BELLO HISP. CAROLI M.  
V. 1254.

Der Kunig vorderte XII Herren  
In sine KEMENATEN  
STRICK. de exped. hisp. Caroli M. c. X. secl. 10. p. 95. in SCHILTER,  
Thes. rer. alem. T. II.

Diu Chunigin meiset in  
In ein CHOMENATEN (g) hin  
Do er den Chunig Marsilien vand.

§. V.

Sed ista Cangiana interpretatio, ne parum vera sit vereor,  
valde. Apud SAGITTAR. memorab. Goth. c. XI. extat dipl. Landgr.  
Albrechti d. a. 1282. vbi ita: *Aream quandam in Gothenſi oppido  
noſtro conſtructam, quae eſt contigua lapideae illae caminatae, quae  
quondam fuit clarae memoriae praedeceſſoris et nepotis noſtri, glorio-  
fiffimi ſcilicet Romanorum regis Henrici olim Thuringorum Land-  
grauii; vbi meridiana luce clarius patet lapideam iſtam caminatam  
nullam aliam niſi arcem Grimmeneſtei nneſſe.* Sufficeret vel hic vni-  
cus locus ad adſtruendam interpretationis Cangianae falſitatem,  
qua Caminata camera, conclave exponitur, ſed praefto nobis alia  
ſunt. Quisnam locus lucidius oppugnare Cangium poterit, quam  
ille, quem ſatis infeliciter ipie e capite V. Monachi Sangallensis

excipi-

(g) Codex Lizelianus KEMENATEN habet; ch et k facillime permuta-  
ri notissimum eſt.

excitauit: *Finitis laudibus matutinis, cum rex ad PALATIVM vel CAMINATAM dormitoriam calefaciendi se et ornandi gratia rediret, nec non ille e diplomate episcopi Cadurcensis, vbi b. Mariae de Sobrios aedes, diserte CAMINATA vocantur?* Omnes tres loci clare et dilucide demonstrant, *caminatam nequaquam cameram aut conclave, sed palatium esse interpretandum; et quoniam hac in re aliquid est dandum germanicae linguae prouocamus ad cantilenam vernacularum de rege Arture, vbi vox Remnata saepissime occurrit, semper vero in significatione palatii;* nec aliter haec vox interpre tanda est in excitatis a Schiltero locis e libro falico monasterii Ebersheimensis et Strickero<sup>(h)</sup>; *Caminata palatium plerumque et per raro modo cameram designat.*

### §. VI.

(h) Vberius hoc demonstratur e iuribus ecclesiae Bambergensis Tom. III. pag. 49. *Lex est famulorum curiae, qui nec habent beneficium, quod deseruant, nec sunt redempti de camina episcopi, quem locum plane se non intelligere fatetur CANGIVS, verum enim uero aut omnia me fallunt, aut camina hic est Burgban, quam vocem intelligent, qui patrum callent ius, hoc qui nesciunt adeant SCHILT. Glaff. Tenu. p. 80. vbi de eo nonnulla inuenient. Ego de Burgban no locum adscribam classicum, nullibi, quod scio excitatum, e dipl. CONR. d. a. 1147. ap. BARING. clau. dipl. p. 29. Damus, ac decreto in perpetuum valitudo confirmamus eandem libertatem, quam habet Corbejense monasterium, PRAEFECTVRAM VRBIS, quae vulgo dicitur BURGBANN, ea videlicet privilegii ratione, ut nullus dux, nullus marchio, nullus comes, nullus aduocatus potestarem habeat exercendi iudicium in atrio praedictae ecclesiae, sed quidquid praeter ius et aequum a famulis, qui tam abbatii quam congregacioni obsequio cotidianio conseruent, commissum*

## §. VI.

In lingua polonica *lapis* est KA'MIE'N et *lapidarius* KA'MIEN-NICK (i). Latet ea vox in multarum vrbium nominibus, ita ut et iis nota esse possit, qui alias nullum plane cum slauonicis linguis commercium habent. In Russia rubra vrbs, a Lemberga XX milliaria versus orientem distita, cuius nomen BIALY-KA'MIEN, *Hebraei* eam לְבָנָן *Libanon*, (k) *graeci* λευκωτερας, Weissenfels aut Wittenberg nostrates dicerent; (l) CAMINIEK-PODOLSKY *Camene-*  
cia,

missum fuerit, ab Abbatे vel ab eo, cui ipse mandauerit, corrigatur. Hunc unum locum qui legit omnibus iis qui plerumque excitare solent, superfedere potest.

(i) MONETAЕ Enchirid. polonic. p. 329, refer luc e lingua venedica petrae appellationem KÓMINE TCHIÓERA, quasi tu dicas montem lapidosam, mons enim Venedis TCHIÓERA, (in Guffario Venedico PFEFFINGERI apud ECKHARD. hist. stud. etym. pag. 281.) Polonis GORA, Russis GORO, unde NAGORNЫ homines qui montana incolunt, ita Tatari Czerevissi dicuntur, qui montes ad dextram Volgae ripam habitant, OLEAR. nieuw. pers. Reyz. p. 255, DIVISA GORO der Jungfrauenberg, TOMAINOGOR der Schlangenberg; XV veritas Africana distans, alii.

(k) A radice *Hipht* לבן albus euafit, unde dictus later *לבנָה*? Gen. XI, 3. et *לבנָה* populus alba Gen. XXX, 37. Hof. IV, 13.

(l) *Vened*, BIALLO, BEL, albus. Polonice BIALY albus, BIALOS'C albedo, BIALOSKORNICK coriarius, ein Weißgerber; hinc BIELAGROD, Belgrad, griechisch Weissenburg, BELVIA — RYBIZA piscium genus in Volga, de quo OLEAR. nieuw. pers. Reyz. p. 284, sub *aztanow* nomine celebratum ab HERODOT. L. IV. pag. 106. BELEVCH, der weiße Gott, Oromasdes Venedorum, Deus enim Croatis, Dalmatis, Polonis et Hungar. BOGI, Venedis BOZ, BVCHWITZA diuinus.

cia, vrbs ducatus Podoliae superioris, ingenti petrae superaedificata; KAMMINSATON vrbs Russica ad nigri maris littus; ab ea voce *palatia lapidea CAMINATAS* dictas censeo. AELFRICVS recte Fyr-hus explicat, hoc vero non de *camera in qua fornax* explicantum, sed eo sensu sumendum est, quo et nos aedes nostras hodie Feuerstätten dicimus.

### §. VII.

Vt nunc *Italis Hispanisque CAMINO, Gallis CHEMIN* ita in media latinitate olim *CAMINVS via, iter* (m) *WAMBAE* notitia Ep. Hisp. Oxoma teneat de Furca usque ad Aylanzon, quomodo currit in camina s. Petri, qui vadit ad s. Iacobum. VSATICI BARCIN: c. 55. Camini et stratae per terram et per mare sint de potestate, et per illius defensionem debent esse in pace et treuga per omnes dies et noctes. Vocem hanc OCTAVIVS FERRARIUS in origin; italicis a gamba, vt

hoc

(m) Aut omnia me fallunt, aut explicare hinc potest locus, qui crucem non unam fixit CANGIO in dipl. Lotharii regis Franc. d. a. 977. ap. LOCRIYM in Chronicō belgico: simili modo mansa duo in praedita villa, et sedes duo in terra arabili, et bonaria 24 ad opus fratrum ipsius loci, medietatem etiam CAMINAE datum ab Andremaro; ubi CANGIVS Cammae seu cambae (brafferia, Brauhaus) manult; perperam, qui enim perlustravit diplomata seit vias esse donatas, quemam enim in instrumentis donatoris formula notior illa, quam nunc e charta Conradi Ep. Magdeburg. d. a. 1136. describo: — iustitiis et pertinentiis eius, areis, terris cultis et incurris, agris, pratis, pascuis, syluis, aquis, viis et invitis, exitibus et redditibus, quaestis et inquirendis.

C

—————

hoc a graeco *καπνη* deriuat, ita *caminare*, ire, esset quasi *gam-binare*, crura velocius mouere, gressum accelerare; quocum MENAGIVS facit. Verum est, Menagii haec et Ferrarii coniectura, maiorem pree se haber veritatis speciem quam illa BOVILLI, qui *semitas* caminos vocatos vult, quia fumiorum speciem referant, et illa ACHARISII qui a *campo* vocem deduxit, quod olim in campo ad cursum exercentur, vnde *scampare* currere, *campinare*, *camininare* velociter ingredi; nescio tamen an non etiam a nostra flauonica voce, *vias lapidibus stratas CAMINATAS* dixerunt. Viderint ea de re quibus maior eruditio, et linguarum cognitio profundior.

### §. VIII.

Si tamen adhuc inueniuntur quibus nimis longe quaesita, ea, quam proposuimus, deriuatio, videtur; qui credunt parum esse probabile, vocem, quoad originem flauonicam, in aliis inueniri quam flauonicis scriptoribus; iis vtique multa possumus regerere. Ac primo quidem considerent rogo, verum quidem esse voces, quarum origo mere hispanica aut italica est, potissimum in hispanicis siue italicis scriptoribus occurtere, sed multas inueniri quoque, quae, origo licet vel maxime italica aut hispanica esset, ingererunt sese aliis scriptoribus, quo *litterae cambiales* vtique referendae, quae sub ea appellatione, licet ea quoad originem pura puta italica sit, in omnibus libris inueniuntur, sic *guardia*, *guardare*, si originem spectas, mere germanica est, et tamen gallicis, italicis, hispanicis sese insinuauit scriptoribus; por-ro,

ro, inuenitur forsan ea vox in chartis slauonicis frequentius quam in aliis, quis vero excusset harum gentium scrinia? Vix enim ac ne vix quidem nunc dénum nobis Bohemorum et Hungarorum historia DOBNERI, POTSCHDIEBRAE, BELII, aliorumque summorum virorum studio, innotescere coepit, intactas adhuc iacent res Seruiorum, Croatarum, Dalmatarum, aliarumque gentium, quarum historiam, ne quid de diplomatibus dicam, attigit nemo aur si quis attigit, perraro ad nos huius generis libri adferuntur qui clausi et sepulti intra patriae limites iacent; itaque iudicare nequimus num non frequentior huius vocis usus in slavicis, quam aliis, libris inueniatur. Est et istud considerandum, longe latèque per Germaniam dispersos Slauos suisse, qui non pauca oppida, nominibus ex patria lingua desuntis, insignierunt. Imprimis notum est Slauos, et gentem imprimis Soraborum, quae Venedica est, habitat esse omnem fere Saxoniam, et urbium saxoniarum nomina, ex nulla felicius lingua quam Venedica illustrari; (n) inuenies vero ibi *Chemnitziām* urbem, *Chennīs*, *Rennīs*, quam rogo, a quanam alia voce, quam nostra Kamien dictam putas.

C 2

Nunc

(n) Quod etiam valet de nominibus pagorum urbiumque principatus Anhaltini; qua de re insignis commentatio extat FRENZELII, linguae Venedicæ adprime gnari, inserta B E C M, anhalt. Chron. T. I. c. IV. §. 9. Erat Frenzelius hic verbi diuini minister Schonauiae in Lusatia; ingens opus etymologicum linguae Sorabice meditarat, sed ob librariorum nostrorum συντροφογραφίαν maior operis pars lucem adhuc expectat, sunt enim modo duo priores libri, quibus oculo alias adiungere voluit, et quidem per partes editi Budissae et Sittauiae  
1693—1698.

Nunc vero si in media Germania, Slavi aeque ac Germani habitarunt quid mirum si et germanica lingua voces flauonicas, et flauica Germanicas adoptauit, (o) et hinc etiam ii germanici scriptores, qui latina quam vernacula lingua vti malebant, latinitati quoque suae flauica admiscerunt nonnulla. Si vero his omnibus nequaquam adquiescere quis vult poterit equidem per me de alia vocis etymologia cogitare. *Kapuves*, *CAMINVS*, *furnus*, *fornax*, hinc forsitan *caminata domus*, quae caminis sive fornacibus gaudet; vihiora enim Germanorum aedificia caminis nequaquam fuisse instruxta, non est cur multis moneamus. Et si AELFRICI Glossae caminatam *Fyrhus* vertunt, *ignis domum* verterunt. i. e. *domus quae igne gaudet*. Faciant hanc deriuationem suam omnes ii quibus iusto periculosior iter e Slauonia in Germaniam aut Latium videatur, iu polonico meo *Kāmien* adquiesco, forsitan enim lectors mei

(o) Praesertim cum ultimum hoc ita clarum ut dubium nullum patiatur; docebit hoc omnium optime oratio dominica in Venedorum linguam translatâ, quam hic non pigebit adscribere:

*Noß hōlya mader ta toy chīß wa nebisgāy. Siunta woarda tugi geima. Tia rík komma. Tia, willya schingōt koke nebisgāy, kok kak no sine. Nōsſe wiſſe dāneſſna ſgeiba moy nam dans. Un wittedoy uom nōſſe ggreis tak moy wittedogime nōſſen gresnārim. Ny bring goy nōs ka wərſikonge. Tay lōſjōy nos wit wiſſokak. Chundak.*

Quantum lingua germanica debeat flauonicis patet imprimis ex immortali opere JOHANNIS LEONBARDI FRISCHII; opus aucto contra carum, quod quilibet patrore linguae studiosus diurna nocturnaque manu versare deberet.

mei nequaquam obliti sunt locum quem supra e charta *Geraldi*  
episcopi Cadurcensis, vbi ecclesia b. Mariae de Sobiros, quae  
tamen ita Dii me ament, nullis caminis fuit instructa, *Caminata*  
audit. Demonstrauimus igitur quod demonstrandum nobis pro-  
posueramus :

VOCIS CAMINATAE ORIGINES, E SLAVONICIS LINGVIS ESSE  
REPETENDAS.

---

ΕΡΙΤΕΤ: apud ARRIAN: l. I. c. XVII.

Καὶ τις ἐστιν ὁ γεγραφώς, ὅτι αὐχῇ παιδίστεος ή τῶν ὀνουμάτων ἐπί-  
σκεψις; Σωκράτης δὲ λέγει;



C 3

THE-

THESES,

VT DISSENTIENDI MATERIUM SVPPEDIMENTA,  
ADIECTAE ET DEFENDENDAE

A

IOANNE CHRISTOPHORO NIEMANN.

- I. Methodus syllogistica in disputationibus est optima.
- II. Historia litteraria, saltim eius scientiae, cui aliquis operam nauat, sedulo tra-  
stanta erit.
- III. Antiquitatum studium a Medicina non abhorret, sed potius rationali, saluta-  
ris huius artis, cultori commendandum quam maxime est.
- IV. Expositio aegrotorum in vias publicas apud veteres, medicorum defectum egre-  
gie supplere potuit.
- V. Effectus expositionis aegrotorum in vias publicas etiam in nostris regionibus  
obtineri potuisset.
- VI. Magis laudanda mihi est veterum expositio aegrotantium, quam incubatio,  
quae in templis siebat.
- VII. Veterum medicorum scripta eo tempore demum cum vsu, legi poterunt,  
cum aliquis, cursum medicum, vti dicunt, absoluere.
- VIII. Linnaeum systema plantarum sexuale, prae aliis omnibus commendandum  
est.
- IX. Physica philosophica eiusdem est amp'itudinis et ambitus, ac historia naturalis  
cf. Illustris EBERHARDI, praceptoris optimi erste G'sinde der Naturleh-  
re. S. 5.
- X. Physica rationalis iure cum experimentalis coniungitur.
- XI. Omne corpus physicum gaudet intersticiis. De mathematico contrarium valet.
- XII. Methaphysica multarum rerum historicam requirit cognitionem.

ABRA-

# ABRAHAMVS IACOBVS PENZEL

S. P. D.

IOANNI CHRISTOPHORO NIEMANNO.

*E*x omnibus iis diebus, DOCTISSIME, ANIMOQUE MEO CHARISSIME NIEMANNE, quos hilariter mihi ac iucunde, in alma hac, quam meam appellare nunc posse, summopere laetor, Fridericiana, Musarum incluta sede, transfigere licuit; hodiernum ego felicissimum candidoque lapillo merito notandum censeo. Qui enim possem aliter ego, cui largissima hodie aliis inseruendi, quod semper cupio quam maxime, aperitur porta? cui hodie licet e superiori cathedra verba facere, quibus animum suum, amicis prorsus dicatum, palam testaretur? Cui tandem contigit praeclarra quaevis de TE studiusque Tuis publice praedicare, omniaque ea quae clanculum miratus huc usque sum in omnium confessu dicere. Quam vero vellem DULCISSIME NIEMANNE adstitisset eunis meis Hygaea, vidisset me nascentem placido Aesculapius lumine, ne proletariae viderentur et infucatae laudes quibus dignum te ob largam amplissimamque rei medicae cognitionem censeo; quibus dignum te censere omnes ii debent, quorum mentes praeconceptis non reguntur opinionibus, testesque fuerunt alacritatis dexteritatisque TVAE quam nuper probis omnibus probasti, dum aduersus doctissimos aduersarios defendere fluidum nerveum conabaris. Verum enim uero non defuerant ea TIBI occasione e gratiose Medicorum ordine,

qui

qui laudes TVAS facundius et melius me enarrabant. Tacere hinc ego,  
 in re medica exotericus homo, et id laudare quod possum volo, animi  
 candorem, probitatem veri rectique studium, et, cuius hodie lucu-  
 lentum edidisti specimen, variarum multarumque rerum cognitionem,  
 quas ignorare, qui Aesculatio se sacrarunt, plerumque solent. Per-  
 ge qua coepisti via, O AMICISSIMVM CAPVT et poteris olim, si porro  
 in Medicorum mediū aeuī scriptis desudare vis, ingentem illam expla-  
 re lacunam, quam hodie adhuc post exantlatos CANGIANOS et CAR-  
 PENTARIANOS labores, in illa barbariei plena latinitate deprehendi-  
 mus. Verum est, lati, si qui alii, junt Medicinae campi, iisque amoe-  
 nissimi, sed tamen etiam Hesperidum hortos nonnunquam deferere iu-  
 uat, et ex Alcinoi pomariis poma decerpere, quare propositum TI-  
 BI institutum laudo, quo, imitatus summorum virorum exempla  
 CONRINGIORVM, RVDBECKIORVM, TRILLERORVM, REISKIORVM,  
 quorum aequabis olim, sit faustum omen! famam, non sola rei medi-  
 cae notitia contentus, Philologiae animum adplicuisti. Non infruetua  
 & sterilis erit incredibilis illa diligentia TVA, alacri feruidoque comi-  
 tata ingenio, non diligentiae probitatisque deerunt praemia, non in-  
 clusum manebis augustis patriolae limitibus! vtterius NIEMANNIANVM  
 NOMFN progredietur. In illo vero felici, mi NIEMANNE tempore,  
 vbi uberrimum vigiliarum ac diligentiae messem habebis, ne obliuiscar-  
 vis quaeſo PENZELII TVI, qui candide, si quis alias TE, et ex ani-  
 mo amat. Ita vale MI NIEMANNE, iterunque vale meique nunquam  
 obliuiscere. Dabam in regia Fridericiana; ipsis Octobris idibus  
 CIOCCCLXXI.

## V I R O

AMICISSIMO EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO  
 IOANNI CHRISTOPHORO NIEMANN,  
 MEDICINAE CANDIDATO DIGNISSIMO  
 CHRISTIANVS LVDOVICVS LIBERKÜHN, IC. S.

*Quoties mibi Halberstadium nostrum in mentem venit toutes etiam recordor illius dici; quo primum amicis TVIS VIR AMICISSIME me interesse voluisti. Recordor non sine magna Voluptate illorum temporum quo sub auspiciis Viri quem filiali amore prosequor ILLVSTRIS B.LIEBERKÜHN sectionibus legalibus interfuius. Eodem tempore deinde accessimus ad Friedericianam nostram; ubi per breve tempus commoratus T V VIR AMICISSIME et nobis inter priuatos Parietes in societate nostra dis-*

D

pu-

M

putatoria deinde etiam in publicis locis alacritatem dexteritatemque ingenii Auditoribus satis monstrasti. Ere tua credisti, tantis speciminibus etiam publicam dissertationis AMPLISSIME PENZELII defensione maddere; pro amicitia nostra, me cum RIMERO, BEYERO, atque RAMBACHIO; quos meos appellare liceat huic certamini participes reddere voluisti. Amplexus sum illa alacritate hoc munus; quam postulare videtur illa quae internos intercedit Amicitia, quam postulare videntur illae solicitudines quas buc usque semper pro illa aduersa valetudine; qua quam maxime laboror habere voluisti. Rogo ut hanc solicitudinem continuare velis; ut mibi etiam amicitiam tuam conseruare velis, quando finita vita academica nobis Berolini dies nostros transfigere licebit. Vale AMICISSIME NIEMANN, quem ob singularem doctrinam, ingeniumque suum, quem ob illam candidam mentem nusquam non amabo. DABAM E MUSEO PENZELIANO MDCCCLXXI. D. XV.  
Octob.



Ne 1680.

8

ULB Halle  
001 508 342

3



Gle.


Nur für den ~~Lehrsaal~~

M.F.





B.I.G.



g  
10

VOCIS  
CAMINATAE  
ORIGINEM SLAVONICAM

EX AVCTORITATE AMPLISS. PHILOSOPHORVM ORDINIS

DIE XVIII. OCTOBR. MDCCCLXXI.

DEFENDENT

M. ABRAHAMVS IACOBVS PENZEL

E T

IOANNES CHRISTOPHORVS NIEMANN

DESSAVIA-ANHALTINVS, MED. ET PHIL. CVLT.



HALAE  
LITTERIS HENDELIANIS.